



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



ER LIBRARY



FHE Q ISS

8998

19



Class 8998.19



Harvard College Library

FROM

*Trans from D. S.*





*Cover*

DE

*class 8998.19*

*12276.27*

# CONSUALIBUS.



FINITO

ACADEMIAE BORUSSICAE RHENANAE

ANNO PRIMO

QUUM

RECTORIS MAGISTRATUM DEPOSITURUS ESSET

SCRIPSIT

CAROLUS DITERICUS HÜLLMANN.

~~~~~  
B O N N A E.

APUD MARCUM BIBLIOPOLAM.

CIDCCCXIX.

Class 8998.19

Trans. from  
D. S.  
June 7, 1881.

---

**N**arrationum de institutis antiquissimi aevi tam civilibus, quam religiosis, admodum paucae reperiuntur, quae, quum haud dubie historici quid contineant, specie tam mythica indutae sint, quam quae de Romanorum Consualibus, deque Sabinorum hac occasione filiabus raptis, traduntur. Hanc rem obscuram, varioque modo immutatam, in quaestionem vocare eo maioris momenti videtur, quo graviore errore ducuntur nostratum illi, qui commenticiam eam censent, quoque magis desiderantur testimonia, quibus, quae utriusque narrationis mens sit, explanetur. Neque enim adhuc fuerunt, quod sciam, scriptores, qui illam in tractandis antiquitatibus Romanis ita exponerent, ut, quatenus altera narratio ad alteram referenda sit, intelligatur, et in universum demonstretur, qua ratione remotissimis temporibus *inter ludicra solennia, et connubia alterarum gentium cum alteris, arctissima coniunctio* intercesserit.

Atque certamina modo dicta, quae maximam partem *equestria* fuere, non solum de Graecis, sed de Libyae quoque gentibus, memorantur; quin imo Libya illorum patria perhibetur, unde quadriugos equos iungendi <sup>1)</sup>, iisque in ludis solennibus utendi artem Graeci acceperint. Pecuariam enim vitam degentes illius regionis incolae, primi fuisse dicuntur, qui equos alerent ac domarent <sup>2)</sup>;

1) HERODOT. IV. 189.

2) Id. II. 50.



eademque terra etiamnum in aptissimis ad curam equorum habetur. Laudantur aetate antiqua populorum Libyae <sup>3)</sup>, prae ceteris Barcae <sup>4)</sup>, quae istius terrae praecipua urbs erat <sup>5)</sup>, quadrigae et currus, horumque in bello usus perantiquus <sup>6)</sup>. Commercii vero equorum e Libya exportatorum, et cum Graecis communicatorum auctores Phoenices, inprimis Gaditani, fuisse videntur; unde navibus eorum, propterea quod simulacrum huius animalis in proris defectum erat, equorum nomen inditum fuit <sup>7)</sup>.

Non potest igitur, quin mihi probetur virorum doctorum ratio, qua, equi cur ad Neptuni cultum relati fuerint, exposuerunt. *Mari* enim antiquitus equos in Graeciam, praecipue in Peloponnesum, invectos esse, iam e nominibus, Neptuno inditis, conicere licet, qui quidem vocatur *Hippius* <sup>8)</sup> vel *Hippeus* <sup>9)</sup>, *equorum dator* <sup>10)</sup>, *Hippagetes* apud Delios <sup>11)</sup>, *Hippocurius* <sup>12)</sup>, *Taraxippus* <sup>13)</sup>;

3) SOPHOCLE. *Electra*, 702.

4) *Ibid.* 727.

HESYCH. v. *Βαρκαίοις ὄχοις*.

5) HERODOT. IV. 160.

Schol. SOPHOCLE. l. c.

HESYCH. et STEPH. BYZ. v. *Βάρκη*.

6) HERODOT. VII. 184.

7) STRABO II. p. 156. Alm: « πλοῖα, ἃ καλεῖν ἵππους, ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς πλώραις ἐπισήμων. »

8) ARISTOPH. *nubb.* 83.

DIONYS. Hal. I. 33.

PAUSAN. VII. 21. §. 3. — VIII. 14. §. 4.

EUSTATH. p. 1392.

9) PAUSAN. VIII. 25. §. 5.

PLUTARCH. *Romul.* 14.

10) PAMPHUS ap. PAUSAN. VII. 21. §. 3.

11) LYCOPHR. *Cass.* 767, et *ibid.* TZETZES.

12) PAUSAN. III. 14. §. 2.

13) *Id.* VI. 20. §. 8.

idemque Arionis equi ex Cerere, et aliorum *equorum pater* perhibebatur <sup>14</sup>). Qua de causa Graeci iam remotissimis temporibus equum huic deo sacrum habuerunt <sup>15</sup>): qui cultus apud Argivos eo processit vecordiae, ut in eiusdem dei honorem equos, frenis ornatos, in maris quendam sinum demitterent <sup>16</sup>). Quod vero ad praecipuam Neptuni a Graecis culti sedem attinet, nihil dubii est, quin in Peloponneso collocanda sit. Etenim exceptis Onchesto, urbe Boeotica <sup>17</sup>), insulaque Teno <sup>18</sup>), qui extra illam peninsulam loci ob dei religionem frequentabantur, reliquos, et hos quidem celeberrimos, intra Peloponnesi fines sitos fuisse notum est. Inter quos si Taenarum <sup>19</sup>), Calauriam <sup>20</sup>), et in Achaia tum Aegaeas <sup>21</sup>), tum Aegium <sup>22</sup>), ac prope istud Helicen <sup>23</sup>), nomino, non fit nisi eo consilio, ut, quae diversis locis memorantur Neptuni templa, hic in unum collecta reperiantur.

14) APOLLON. III. 6. §. 8.

TZETZES. l. c.

15) HOMER. II. XXIII. 584.

16) PAUSAN. VIII. 7. §. 2.

17) HOMER. II. II. 506.

STRABO IX. p. 632.

PAUSAN. IX. 26. §. 3.

18) STRABO X. p. 747.

19) Id. VIII. p. 558. 574.

PAUSAN. II. 33. — III. 25.

20) STRABO VIII. p. 574.

PAUSAN. II. 33. III. 25. X. 5. §. 3.

PLUTARCH. Thes. 6.

21) HOMER. II. VIII. 203. XIII. 21.

STRABO VIII. p. 591.

22) Id. l. c.

PAUSAN. VII. 24. §. 1.

23) HOMER. II. VIII. 203.

PAUSAN. VII. 7. §. 1.

His ita praemissis, in argumentum meum ingredi, et, quid Consualibus raptuque Sabinarum significetur, explanare licet: unde apparebit, utramque narrationem redire ad rem admodum simplicem, eamque ita comparatam, ut saepius apud alias gentes occurreret necesse fuerit.

---

## I.

**N**arrationis, de qua disseritur, partes <sup>24)</sup> si tum accuratius examinantur, tum inter sese, atque cum similibus Graecorum, comparantur, haud difficile intelligitur, spectaculum istud *non sui ipsius causa, sed ad celebrandos gentium foederatarum conventus*, institutum fuisse: unde omnia omnino eiusmodi certamina orta sunt, quae temporis progressu, quum gentium in conventibus illis consilia communia magis magisque obsolescerent, sola remanserunt; ita ut, quod primum per lusum, et occasione data, factum esset, tandem data opera et proprie institueretur. Est enim certo certius, gentes finitimas, priusquam arctiori *iuris civium* vinculo tenerentur, ubique latiori *iuris gentium* iunctas fuisse. Ut Atheniensium, aliorumque Graeciae populorum statum civilem primi temporis mittam, de Romanae tantum reipublicae primordiis hoc affero, quod, dum eius forma ea obtinebat, quam Romuli nomine designant, curiae nondum foco communi congre-

<sup>24)</sup> LIV. I. 9.

DIONYS. Hal. I. 33. II. 31.

PLUTARCH. Romul. 15.

VARRO LL. V. 3.

OVID. Fast. III. 199.



His ita praemissis, in argumentum meum ingredi, et, quid Consualibus raptuque Sabinarum significetur, explanare licet: unde apparebit, utramque narrationem redire ad rem admodum simplicem, eamque ita comparatam, ut saepius apud alias gentes occurreret necesse fuerit.

---

## I.

Narrationis, de qua disseritur, partes <sup>24)</sup> si tum accuratius examinantur, tum inter sese, atque cum similibus Graecorum, comparantur, haud difficile intelligitur, spectaculum istud *non sui ipsius causa, sed ad celebrandos gentium foederatarum conventus*, institutum fuisse: unde omnia omnino eiusmodi certamina orta sunt, quae temporis progressu, quum gentium in conventibus illis consilia communia magis magisque obsolescerent, sola remanserunt; ita ut, quod primum per lusum, et occasione data, factum esset, tandem data opera et proprie institueretur. Est enim certo certius, gentes finitimas, priusquam arctiori *iuris civium* vinculo tenerentur, ubique latiori *iuris gentium* iunctas fuisse. Ut Atheniensium, aliorumque Graeciae populorum statum civilem primi temporis mittam, de Romanae tantum reipublicae primordiis hoc affero, quod, dum eius forma ea obtinebat, quam Romuli nomine designant, curiae nondum foco communi congre-

<sup>24)</sup> LIV. I. 9.

DIONYS. Hal. I. 33. II. 31.

PLUTARCH. Romul. 15.

VARRO LL. V. 3.

OVID. Fast. III. 199.

gabantur, sed suum quaeque privatum habebat <sup>25</sup>): quo quidem satis cognoscitur, curias nondum verae civitatis lege, sed gentium foedere, sociatas fuisse.

Sunt autem duae rationes, unde conicio, Consualia non habita fuisse nisi ad *concilia gentium foederatarum* celebranda.

Igitur si harum alteram tum ab ipso nomine *Consi*, tum ab aliis nominibus, eidem inditis, repeto, monendum videtur, ubicunque gentes vicinae vel ad dirimendas controversias, vel ad res alias civiles tractandas, congregarentur, deum quendam tamquam patronum foederis cultum fuisse, *qui haud raro inde cognominaretur*. Itaque non est, quod dubitetur, vocabulo *Consi*, quod Neptuno apud Romanos inditur cognomen <sup>26</sup>), subesse *consulendi* notionem, et communem esse utriusque verbi originem ac radicem. Firmatur hic vocabuli sensus eo, quod saepius explicatur aliis eiusdem argumenti nominibus. Est enim Consus idem atque *consiliarius* <sup>27</sup>), *deus consilii* <sup>28</sup>) *deus consiliorum* <sup>29</sup>). Simili modo Iovis quoque

25) DIONYS. Hal. II. 65: «κοινὸν ἱερὸν οὐ κατεσκεύασατο (Ῥαμύλος) τῆς Ἑστίας. c. 66: «Νομάς δὲ — κοινὴν κατεστήσατο πάντων (φρατριῶν) μίαν.

Conf. PLUTARCH. Numa, c. XI.

At sibi non constat DIONYSIUS de extruendo Vestae templo. Alio enim loco, II. 23, narrat, praeter singularum curiarum focos iam Romuli tempore unum fuisse omnium curiarum communem.

26) LIV. l. c.

DIONYS. Hal. I. 33.

PLUTARCH. Romul. 14: «ἱππειὸν Ποσειδῶ.»

SERVIVS ad Virg. Aen. VIII. 636: «Consus et eques Neptunus dicitur.

27) PLUTARCH. l. c. «τὸν θεὸν Κῶνσον — βουλευτὸν ὄντα; κωσῖλιον γὰρ ἔτι νῦν «τὸ συμβούλιον καλοῦσι.»

28) Festus: «Consualia ludi dicebantur, quos in honorem Consi faciebant, quem deum «consilii putabant.»

29) SERVIVS, l. c. «Consus est deus consiliorum.»

occurrunt cognomina, quibus populorum foedere iunctorum praeses denotatur. Ac primum quatenus Panachaeo, sive Achaeorum conventibus, Aegii habitis <sup>30)</sup>, praeerat, *Homagyrius* <sup>31)</sup>, i. e. congregans, vocabatur. A quibus Achaeis quum illi oriundi essent, qui prope Crotonem convenirent <sup>32)</sup>, Iovi, quem hi retinuerunt foederis patronum, nomen datum est *Homorio* <sup>33)</sup> i. e. finitimo. Nec vero quidquam obstat, quo minus Iovis *Latiaris* sive *Latialis* <sup>34)</sup> vocabulum simili sensu accipiatur. *Latium* enim profectum esse a *Leïtan*, quae vox graeca eadem est ac germanica *Leute* <sup>35)</sup>, unde Achaei Phthiotae Prytaneum suum ita vocaverint <sup>36)</sup>, alio loco exhibui. Itaque si *Latiaris* idem significat, quod *popularis*, Iovis Homagyrii, Homorii, et Latiaris nomina eodem redire videntur.

Iam ad alteram venio rationem, qua dictam de Consualibus sententiam probari censeo. Est autem notissimum, ludos Circenses, quorum ad ultima usque reipublicae tempora obtinuit mos, e Consualibus ortos esse <sup>37)</sup>. Quod si populus,

30) POLYB. II. 54. IV. 7. 26. 82.

STRABO VIII. p. 593.

31) PAUSAN. VII. 24.

Alia etiam hoc loco est de huius nominis origine narratio, cuius tamen ratio habetur non digna.

32) STRABO VI. p. 402, Alm.

33) POLYB. II. 39.

34) DIONYS. Hal. IV. 49.

CIC. Mil. 31.

35) PLUTARCH. Romul. 26: «Λήϊτον γὰρ τὸν δῆμον ἔτι καὶ νῦν Ἕλληνες ὀνομάζουσιν.»

36) HERODOT. VII. 197.

37) VALER. MAX. II. 4. 5. 4.

STRABO V. p. 352.

PLUTARCH. Romul. 14.

Id. Aemil. Paul. 32: «ἐν τε τοῖς ἵππικοῖς θεάτροις, ἃ Κίρκους καλοῦσιν.»

SERVIVS l. c. in Consi honorem Circenses celebrantur.



quum ad spectandos hos ludos convenisset, iam primis temporibus *curiatim* divisus fuit <sup>38)</sup>, vestigium hoc est concilii politici antiquitus habiti, quod certamina equestria, in divini praesidis honorem instituta, tamquam oblectamenta sequuta sint. Neque enim usquam populus aliquis *ex ordine curiarum* vel gentium congregatus est, nisi ad tractandas res publicas. Ne vero quis opinetur, dilabi hanc argumentationem eo, quod curiis nomina demum a virginibus raptis data traduntur <sup>39)</sup>, qua de causa curiarum origo Consualibus posterior fuerit oporteat. Quis enim est historicorum, quin videat, res in hac narratione, ut sexcenties, mythico modo confusas esse?

38) DIONYS. Hal. III. 68.

39) LIV. I. 13.

DIONYS. Hal. II. 47.

---

## II.

Quo faciliores tractatu res omnes fuerunt, de quibus priori huius libelli parte disputavi, quum et singulae, et aliae cum aliis coniunctae, admodum notae sint, eo impeditior videri potest posterior, qua narrationem de Sabinarum raptu mythicâ veste exuere, eique historicam induere cogito; ita quidem, ut raptum illum tamquam connubia propositurus sim, quae inter omnes antiquissimi aevi gentes finitimas in more posita fuerunt, et unde phratriae sive curiae tum ortae, tum auctae sunt. In quibus ipsis matrimoniis mutuis sane vinculum cognoscitur aliarum gentium cum aliis iungendarum; quo tandem magis magisque adstricto, omnique populo civilibus et religiosis institutis ac formulis arctissime sociato, civitates ortae sunt.

Quam hic de raptu illo sententiam breviter exposui, historicorum quidem testimoniis probare nequeo; multum vero abest, ut eam ob causam commenticia habenda sit; fulcitur enim factorum quorundam, fabulis mixtorum, comparatione, unde narrationis de virginum raptu sensus intelligitur: quae argumentandi ratio si ea, qua debet, circumspectione, cura, et diligentia initur, remotissima aetate saepius sola indicat viam, qua primordia societatis civilis investigentur. Res autem illas historicas, quas collectas expositurus sum, si una comprehensione complector,

non possum, quin censeam, puellarum patres plerumque eiusmodi matrimoniis adversatos esse, propterea quod proci non eiusdem gentis essent, atque has lites inter utrosque procorum puellarumque patres maximam partem in conventibus gentium memoratis, si proci in certamine equestri victores evasissent, compositas, procosque in socerorum gratiam adductos esse: quales idcirco controversiae non in rarioribus fuisse videntur, ad quas dirimendas concilia habita sint.

Admodum digna est, cuius hic mentio fiat, Dionysii narratio <sup>40)</sup>, Consualia, quae *Amphictionum Latinorum conventus* interpretari fas est, virginum rapiendarum causa instituta fuisse.

Ita factum est procul dubio, ut aevo mythico aurigae victores una cum puellis pulcris memorentur, ita, ut alterae alteris tamquam praemia abducendae tradantur <sup>41)</sup>. Neque aliter illustrari potest notio virginis mythicae, quae *Athena equestris* vocatur <sup>42)</sup>, cuiusque, ut vehiculorum, patria fertur Libya fuisse <sup>43)</sup>. Neque enim ipsa currum equosque regens effingi debet, quamquam poëtae ac mythographi falso eam ita interpretantur, imo inventricem quadrigarum eam perhibent <sup>44)</sup>; sed imago est virginis, quae aurigae victori sponsa contigit. Inde colli-

40) L. II. c. 30.

41) HOMER. II. XXIII. 262. 263:

« Ἰππεῦσιν μὲν πρῶτα ποδῶκεσιν ἀγλά' ἀεθλα

« Θῆκε, γυναιῖκα ἄγεσθαι — —.

42) PINDAR. Olymp. XIII. 115.

HARPOCR. et Etymol. v. ἰππία Ἀθηναῖ.

43) Schol. PINDAR. Pith. IV. init. « τὴν ἰππεῖαν Ἀθηναῖαν ἐν Λιβύῃ γενέσθαι φασί. »

44) CIC. nat. deor. III. 23.

HESYCH. v. Βαρκαίοις ὄχοις

HARPOCR. et Etymol. l. c.

STEPH. BYZ. v. Βάρκη.

gendum videtur, Minervam non perpetuae virginitatis, sed proprie virginis talis, qualem descripsi, effigiem esse. Eadem est nominis *Hippodamiae* ratio, quod, quum puellarum, quae sic appellantur, nulla, ne Oenomai quidem filia <sup>45)</sup>, equorum curruumque perita perhibeatur, non ita interpretandum est, ut virginem denotet, quae equos domuerit.

Sed iam veniendum est ad exempla, quibus, quae de puellis vel raptis, vel victoribus equestribus praemio datis, exposui, firmare, ne dicam probare posse mihi videor. Exordiendum est iterum a Libya, quam horum certaminum patriam dixi. Fama hic viguit Irassae, quae Cyrenaeorum colonia erat <sup>46)</sup>, Antaeus quidam <sup>47)</sup>, nec vero idem, qui contra Herculem atrociter congressus esse fertur <sup>48)</sup>. Quae illi tribuitur filia, *Barce* vocatur <sup>49)</sup>, sed falso; est enim hoc provinciae vel urbis huius terrae nomen <sup>50)</sup>. Neque minus error subesse videtur, si relatum legitur, filiam hancce positam fuisse metam, quam proci petiverint *cursu pedum*; etenim spectatores ludorum memorantur *equestres Nomades* <sup>51)</sup>. Idem iudico de Danai, qui tamquam rex Argivorum proponitur, generis; quibus, quum ludis gymniciis *cursu pedum* victores evasissent, socer filias in matrimonium collocasse traditur <sup>52)</sup>. Cuius Danai adversus priores filiarum procos (non gentiles) odium quam saevum et crudele pinxerint scriptores mythici, satis notum est; gravior autem est, quam quae hic silentio praetermittatur, *cognitionis* Danai cum iuve-

45) APOLLON. Rhod. I. 752 seqq.

46) HERODOT. IV. 158. 159.

47) PINDAR. Pyth. IX. 183—195, et 207 seqq.

48) Schol. PINDAR. l. c.

49) Ibid.

50) STEPH. BYZ. v. Βάρκη.

51) PINDAR. l. c. v. 217, et ibid. Schol.

52) Id. l. c. 195 seqq.

APOLLODOR. II. 1. §. 4, extr.



nibus illis mentio: quibus vestigiis mythicis sine dubio generorum et soceri, licet diversarum *gentium* essent, affinitas tamen *curialis*, communisque harum coloniarum ex Aegypto origo, proditur.

Sed prae ceteris mira de Oenomaio narratio idonea est, quae cum Consualium, raptarumque Sabinarum historia conferatur <sup>53</sup>). Equestrium enim in ea certaminum curruumque quadriugorum <sup>54</sup>) diserte fit mentio; horumque ludorum, ut supra memoratum est, in Graecia sedes erat Peloponnesus, in primis celeberrimus Isthmus, tam antiquissima <sup>55</sup>), quam recentiori adhuc aetate <sup>56</sup>). Quod vero Oenomaus quadrigas Pisa in Elide ad aram usque Neptuni in Isthmo, direxisse traditur <sup>57</sup>), aperte significat, foederis vinculum Peloponnesi gentes et populos iunxisse, quo et Elei tenerentur.

In eo tamen narrationes de Oenomaio, deque Sabinorum filiabus differunt, quod in illa proci divitiis pollet, iisque adhibitis, quae concupiscit, consequitur, quum in matrimonium appetere audeat filiam patris, qui principis gradum tenet; in hac vero proci homines e vulgo sunt, qui puellas sibi vindicant, et has quidem e toto Sabinorum populo <sup>58</sup>).

53) DIODOR. Sic. IV. 73.

APOLLON. Rhod. l. c.

STRABO VIII. p. 545. Alm.

PAUSAN. VI. 20. §. 8. 21. §. 7. — VIII. 14. §. 7.

54) DIODOR. l. c. «τέττακτον ἄρμα.»

55) PLUTARCH. Thes. 25.

56) STRABO VIII. p. 583.

PAUSAN. II. 1. §. 7.

LIV. XXXIII. 32.

57) DIODOR. l. c.

58) PLUTARCH. Romul. 14.

Tumultuariam hic mentionem iniicio opinionis, quae nostratium quidem non paucis probatur, qua tamen nulla unquam pernoscendae conditioni societatis apud veteres civilis magis obficiens commenta est, nulla, quae a veritate historica magis abhorreat. Putant autem, quibus ea opinio arridet, Romanorum curias antiquitas patricias modo gentes continuisse, plebe exclusa. Qui vero eos fugere potest, phratrias sive curias ad matrimonia illa violenta perspicue referri? Narratur enim, licet mythice, vel tot modo virgines raptas esse, quot essent curiae <sup>59)</sup>, vel plures quidem in Romanorum potestatem venisse, triginta vero esse lectas, unde nomina curiis darentur <sup>60)</sup>. At vero, cuius rei ratio habenda est, qui Sabinas in matrimonium rapuerunt, quosque curiis adscriptos fuisse adparet, homines obscuro loco nati fuisse feruntur <sup>61)</sup>. Quapropter sine ullo dubio omnes omnino nascentis reipublicae cives curiis complector. Sed mitto hic spinosum istud argumentum, sperans, fore, ut accuratius eius tractandi occasio mox alio loco mihi offeratur.

59) Ibid. « τριάκοντα μόνας παρθένας; — — ἀρπασθῆναι δὲ — τριάκοντα μόνας. »

60) LIV. I. 13.

DIONYS. II. 47.

PLUTARCH l. c.

61) PLUTARCH l. c. « μιγάδες ἐξ ἀπόρων καὶ ἀφανῶν. »











